

Lebensabriffe einiger Schönthaler Aebte und Conventualen.

289

Plurimorum vero actorum magnus in utriusque monasterii quasi incompatibili regimine conscripta adsunt.

1649. Hoc et praecedente anno post illatas aliquot spoliationes, equorum ablationes etc. milites Suecici stativa agebant in provinciis catholicorum, ad extorquendam summam 5 millionum imperialium pro sua satisfactione, qui interea 60 milliones causaverunt, et Galli milites duce Tourennio, tantundem prope vi subita extorserunt et abierunt. Die 2 Decembris, vix dum coepta trituratione, mane hora 1 ad 5 usque conflavit horreum monasterii et tota messis, incognita adhuc incendii origine.

Anno 1650. 12. Januarii cassatus in Schönthal vicariatus et officia omnia de novo constituta, revocatis domum religiosis, missis Cistercium epistolis, dominus abbas rediit Eberbacum.

1651. Tandem post plurimos labores et sollicitationes nova provisio monasterii Eberbacensis per proprium abbatem ex gremio libere electum secula est 28 Martii, electo rev. patre Balthasaro Bund etc. Igitur traditis pecuniis, documentis et assignatis substantiis, prius exhibito computo administrationis patribus illius loci, die 2 Aprilis Eberbaco aeternum valefecit et in domum professionis et primae suae electionis in Schönthal rediit dom. Christophorus abbas afferens secum sibi donata 12 sacra capita et 2 thecae reliquiarias ornatas majores cum cruce argentea et propter aliquot plaustra vini Heilbronnensis illuc advecta, vetustum ornatum rubrum aurosericum 110 thaleris taxatum, cum sponsione perpetuae gratitudinis pro tot per 3 fere annos curis et laboribus pro Eberbaco exantlatis. Hoc anno [1651] causa religionis catholicae primo in Wimmenthal, dein et Weldingsfelden* acerrime impugnata et sumptuose defensa fuit. Transactio autem valde violenta facta fuit Herhipoli cum domino Werdnaw**, ratione debiti restantium 10,000 Rthlr. pro arce et bonis nobilibus in Biringen*** emptis, quae tamen in anno 1662 plene terminata et soluta fuit.

1652. abducti demum milites Suecici ex Germania vastata.

1653. Hoc anno terminata lis 18 annorum et facta compositio inter Schönthal et Hall super debito seu

* Wimmenthal, D.-N. Weinsberg; Weldingsfelden, D.-N. Künzelsau.

** Von Werdnaw, welcher Familie seit 1631 ein Drittel des Dorfes Bieringen gehörte. Das Dorf selbst stand unter Mainzer Hoheit.

*** In Bieringen, D.-N. Künzelsau, besteht noch jetzt ein Schloßchen, jetzt die Pfarrwohnung.

Quellensammlung, IV.

capitali 32,000 fl. Sic ergo, auctoritate sacrae caesareae majestatis in comitiis Ratisbonensibus pactum, conventum atque transactum: Hallenses nova obligatione monasterio se obligent ad annum censum 600 fl. ex 15,000 fl. veluti ex noviter constituta summa capitali 4 ex 100 pensitando, summa capitali, quamdiu census solvetur, mansura irreluibili. Addita conditio, ne resiliendi locus superesset, a sacra caesarea majestate confirmationem huius transactionis petendam. Quod et factum est et recessum ipsum desuper formatum subscripserunt ipsi caesarei commissarii et partes die 20 Septembris. Sic post expensas litis ad 3000 fl. a monasterio et 7000 fl. ab Hallensibus, uti ex post facto fassi sunt, extincta fuere monasterio 17,000 fl. de suis erogatis pecuniis et 33,600 fl. pensionum. Subsecuta caesarea ratificatio inserta poena, sub sigillo majore; et anno 1654 extradita nova obligatio.

Anno 1654 rev. pater Claudius Voussin, abbas Cistercii, totius sancti ordinis generalis, visitavit Germaniam superiorem et 3 Junii, qua erat vigilia festi corporis Christi, venit in Speciosam Vallem, cum sociis rev. patre Francisco du Chemin, priore, N., abbate Septemfontium*, patre Olivario Boullogne, secretario, et fratre Francisco du Schwechtis, juniore. Confirmavit transactionem initam cum civitate Hall. Reliquit chartam ibro usuum sanctae regulae et diffinitionibus capituli generalis innitentem. Recessit 6 Junii in Brunnbach** per Mergenthal, comite domino abbate suisque equis et famulis concessis. Ab eodem rev. patre generali indictum fuit capitulum abbatum superioris Germaniae in civitate Rottweil ad diem 27 Augusti, quod et celebratum est, omnibus, praeter duos, personaliter comparentibus. De quibus acta ipsius capituli videri et legi possunt.

1655. Variarum tricarum cum Berlichingensibus et Judaeis in Biringen. Domus torcularis in Westernhausen ex fundamentis noviter constructa fuit a 90 fl., 6 urnis vini, praeter panes et materialia***.

1656. 24 Martii, quo celebrabatur festum annuntiationis beatissimae virginis matris Jesu Mariae, imago

* Ist einer der beiden Orte Sept-Fontaines, von welchen einer im Departem. Doubs, arr. Pontarlier, cant. Levier, der andere im Dep. Haute-Saône, arr. Gray, cant. Frêne-St.-Mams, liegt.

** Heinrich Göbhardt in seiner historia domestica von Brunnbach (Schriften des bad. Alterthumsvereins, Bd. 2 S. 376) führt diese Visitation von Brunnbach nicht an.

*** Die Maurer, Zimmerleute und Bauhofsreiner wurden damals mit barem Gelde und mit Wein und Brod (Korn) bezahlt.